

F D A residuum anguli E D C subtracti à toto

E D A nempe, 49 gr. 46 min. 20 sec.

Ergo datur F A 9 gr. 15 min.

V. In Triangulo E A F pro E F & A E F

διδομενα sunt

E A Compl. lat. stellæ 62 gr. 13 min. 30 sec.

A F Latus iam inventum 9 gr. 15 min.

E A F ut E A B 74 gr. 7 min. 10 sec.

Ergo datur E F 60 gr. 4 min. 30 sec. cuius Comp, 29 gr.
55 min. 30 Latitudo Cometæ quæsitæ.

Datur etiam A E F 10 gr. 16 min. 40 sec.

differentia long. Cometæ & stellæ A. Igitur
addita differentia ad Longitudinem stellæ A

9 gr. 23 min. & producit

19 gr. 39 min. 40. & longitudinem Cometæ quæsitam.

Hactenus Cometam visu naturali à reliquis stellis discernere cuivis licuit. Ut ut enim lumine magis ac magis obscuro fulserit, quantitate tamen corporis sui debilitatem luminis hucusque compensare videbatur. Post diem verò 25 Novembris corpore etiam ita decrevit, ut qui magnitudine suâ Venerem aliquoties excedere, diametroq; suâ visibili Lunæ semidiametrum quam proximè primùm exæquare visus, jam vix quintæ magnitudinis stellam corpore æmulari, lumine verò ne sextæ quidem putaretur. Proinde non nisi ab exercitato, cui & locus Cometæ solitus & stellæ inibi disseminatæ familiares erant, dignosci potuit. Deprehendebatur à me Cometa die 26 Decembris in formâ stellæ quintæ magnitudinis prope sinistrum Persei humerum, non procul ab hesternò loco, q. diametro lunari aut quod excedit altior, in eâdem ferè longitudinis hesternæ lineâ, hinc longitudinis 19 gr. 34 min. & latitudinis verò 30 gr. 35 min. B. in Cælo eum occupasse puto. Sequente verò die meum etiam subterfugit visum sibi relictum. Diu enim multumq; nudis inquisivi oculis, nec præter stellas istius asterismi domesticas insoliti quicquam apparuit. Ope tamen perspicilli tandem ad latus occidentale prædictæ stellæ sinistri humeri paulò inferiùs, Cometam, aliquantulum hâc stellâ minorem, conspiciebam in tantâ ferè distantia ab eâdem, quantâ lucida Pleiadum ab eâ, quæ in cuspi-

de ad